



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de attributis, de visione Beatifica, de scientia Dei, ac
de ejus voluntate, & Providentia

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77232)

Axus negatio: Ergo similiter, ad non futuritionem illius, nullum requiritur positivum decretum, sed sufficit libera eius negatio, seu libera divina voluntatis suspensio.

329. Confirmatur amplius: Absurdum videtur fingere in Deo infinita ferè decreta conditionata, circa infinitas ferè combinationes possibiles, inter quas plures videntur absurda & nugatoria, & asserere quòd in Deo sit decretum positivum & actuale, quo positivè velit & determinet, quòd si capra v. g. saltet, arbor non florebit: quòd si gallus cantet, Turca non convertetur: si Petrus dormiat Romæ, Joannes non saltabit Burdigalæ, & circa similia humanæ mentis deliria. Unde multò convenientius videtur asserere, voluntatem divinam circa hujusmodi combinationes, & futura conditionata disparata, mansisse suspensam, & habuisse solum circa illa decretum negativum, seu liberam decreti negationem, in qua certò cognoscit, illa non esse futura.

§. II.

Solvuntur objectiones.

330. **O**bjicies primò: Divina voluntas ut libera, non minus est in ultima actualitate, & actus purus, quam si consideretur ut natura, vel ut necessaria: Ergo sicut voluntas divina per modum naturæ considerata, est necessariò in actu secundo, respectu objecti primarij quod necessariò diligit: ita etiam ut libera debet necessariò esse in actu secundo, respectu objecti secundarij in quod liberè tendit.

331. Respondeo concessò Antecedente, distinguendo Còsequens: Respectu objecti secundarij debet esse in actu secundo, quantum ad entitatem, & actualitatem, concedo: quoad exercitium, & terminationem, nego. Solutio patet ex suprà dictis: ut enim suprà annotavimus, libertas divina non consistit in indifferentia potentia ad actum & negationem ejus, sed in indifferentia actus purissimi ad terminationem ad objectum creatum, & negationem terminationis; ex quo non colligitur esse potentialem, seu non esse actum purum; sicut nec ex eo quòd misericordia & justitia divina indifferentes sint ut terminètur vel non terminentur ad objecta creata, aliqua potentialitas vel defectus actualitatis in illis infertur. Et quidem si quid probaret hoc argumentum, convinceret voluntatem Dei liberam debere habere positivas omnes terminationes ad creaturas quarum est capax, quod nec ipsi quidem Adversarij admittent.

332. Instabis, Voluntas divina, quia sub conceptu naturæ est actus purus, & omnis potentialitatis expertus, non solum est in actu secundo quoad entitatem & actualitatem, sed etiam quoad terminationem, & exercitium illius circa suum objectum: Ergo similiter si voluntas Dei ut libera sit actus purus, debet esse in actu secundo, non solum quoad entitatem & actualitatem, sed etiam quoad omne exercitium, & omnem terminationem.

333. Respondeo negando causalem: non enim hac solum ratione, voluntas divina sub conceptu naturæ, est in actu secundo quoad terminationem, circa objectum quod necessariò diligit, sed quia terminatio ad tale objectum, est necessariò connexa cum actualitate voluntatis divinæ, ob necessitatem objecti: quia illò propositò per intellectum, cum representetur ratio summi boni, nequit voluntas non exercere actum circa illud: cu-

A jus oppositum in terminatione libera contingit, quandoquidem ejus objectum, cum creatum & finitum sit, & finitam bonitatem habeat, nequit necessariò allicere voluntatem divinam, ut habeat necessariò exercitium terminationis ad illud.

Objicies secundo: Non stat summa perfectio scientiæ Dei liberæ, cum suspensione omnimoda voluntatis divinæ: Ergo illa non est admittenda, Consequentià patet, Antecedens probatur. Nam ut ostendimus in Tractatu de scientia Dei, sublatis decretis absolutis, & conditionatis, non potest stare certitudo & infallibilitas scientiæ Dei, respectu futurorum contingentium: Ergo perfectio scientiæ Dei liberæ, cum suspensione omnimoda divinæ voluntatis subsistere nequit.

B Respondeo negando Antecedens: ad cujus probationem, in primis dicendum est, quòd si voluntas Dei circa futuritionem, vel non futuritionem omnium rerum possibilium mansisset suspensa, ejus scientia non cognosceret res ut futuras, sed solum ut possibiles: neque hoc arguit imperfectionem, sed potiùs summam perfectionem in divina scientia, quæ debet attingere res ut sunt, & illas cognoscere eo modo quo sunt cognoscibiles: in tali autem casu, nihil esset cognoscibile ut futurum; quia nullum esset in Deo decretum, quòd res extraherentur à statu meræ possibilitatis, ad statum determinatæ futuritionis. Sed quia ex fide & divina revelatione habemus, voluntatem divinam circa futuritionem rerum omnium possibilium, non mansisse suspensam, sed absolutè vel conditionatè, ad plurium rerum productionem & futuritionem se determinasse.

C Respondeo secundo: certitudinem divinæ scientiæ, quantum ad ea quæ sunt futura, fundari in decreto positivo, absoluto, vel conditionato, quòd Deus absolutè vel conditionatè decrevit illorum productionem & futuritionem: quantum verò ad ea quæ non sunt futura, fundatur vel in decreto positivo, quòd Deus absolutè, vel conditionatè noluit illorum futuritionem: vel in decreto negativo, seu in libera decreti negatione, quia noluit se determinare ad illorum futuritionem, aut non futuritionem; tale enim decretum negativum sufficit (ut ostendimus) ut aliquid non sit futurum, & ut tale cognoscatur à Deo.

Ex quo inferes, duplex esse medium in quo divina scientia potest certò cognoscere aliquid non esse futurum. Primum est decretum positivum, quòd positivè vult non esse illius rei. Secundum est decretum negativum, seu libera ommissio omnis decreti positivi, circa ejus futuritionem vel non futuritionem.

Objicies tertio: In voluntate creata non potest salvari ratio perfecti liberi per puram ommissionem, ut docent plures Thomistæ 1. 2. qu. 6. art. 5. & qu. 71. art. 5. Ergo multò minus in voluntate divina salvabitur ratio libertatis, per solam voluntariam omnis decreti positivi suspensionem.

E Respondeo dato Antecedente, de quo disputant Theologi locis citatis, negando Consequentiã, & paritatem. Ratio disparitatis sumitur ex differentia libertatis divinæ & creatæ. Libertas enim creata non est ad terminationes diversas ejusdem actus, sed ad diversos actus: unde quia in casu puræ ommissionis, nullum haberet actum voluntas creata, non salvaretur in ea perfecta libertas in actu secundo, si quidem actus secundus nominat actum. Caterùm in Deo non est libertas ad diversos actus, sed ad eundem actum, cum diversa terminatione; unde non intellecta adhuc in ejus

in ejus voluntate aliquâ positivâ terminatione ad creaturas, potest intelligi actus secundus, scilicet necessarius, qui est idem cum libero; quia terminatio ad objectum secundarium, non addit in Deo novum actum, nec novam entitatem, actualitatem, aut perfectionem, ut ostendimus articulo præcedenti.

139. Dices, In tali casu in Deo non erit voluntarium: Ergo nec liberum. Consequentia patet, ex eo quod omne liberum est voluntarium, licet omne voluntarium non sit liberum. Antecedens probatur: Voluntarium in Deo desumitur ex actu positivo, & positiva terminatione: Ergo illâ non stante in Deo circa creaturas, non erit in illo voluntarium in ordine ad illas.

140. Respondeo distinguendo Antecedens. Non erit voluntarium positivum & formale, concedo Antecedens. Negativum & virtuale, seu interpretativum, nego Antecedens, & Consequentiam. Ex eo enim quod voluntas divina haberet actum positivum circa suam bonitatem, & attenderet per intellectum ad creaturas, circa quas per voluntatem non habet terminationem, interpretatur ita se habere, ac si positivè non vellet talem terminationem. Sicut in Petro, instante præcepto audiendi sacrum, si attendat, & tamen eliciat tunc actum voluntatis studendi, nihil de audiendo sacro determinando, dicimus tunc quod liberè omittit in actu secundo; non quidem per volitionem formalem non audiendi sacrum, quia illam non habet, ut supponimus, sed per actum interpretativum, quò intelligimus voluntatem æquè determinatam, ac si haberet actum positivum circa tale objectum.

141. Instabis: Voluntarium purè negativum & interpretativum, est imperfectè voluntarium: Ergo repugnat Deo. Consequentia patet, Antecedens probatur. Voluntarium purè negativum, non est perfectè vitale: Ergo nec perfectè voluntarium.

Respondeo distinguendo Antecedens: Voluntarium purè negativum, per defectum entitatis & actualitatis actus, qualiter in nobis contingit, concedo Antecedens. Per defectum solius terminationis, sub conceptu terminationis, nego Antecedens, & Consequentiam. Solutio patet ex supra dictis.

142. Urgebis: In Deo non admittitur à Thomistis reprobatio purè negativa, seu pura omisso admittendi aliquos ad gloriam, quia illa est minus perfecta in ratione providentiæ, quàm reprobatio positiva, quæ consistit in positivo decreto aliquos excludendi à gloria ut beneficio indebito: Ergo ob eandem rationem non debet admitti in Deo libertas purè negativa, sive omisso omnis terminationis liberæ ad creaturas: hæc enim videtur minus perfecta in ratione libertatis, quàm libertas positiva consistens in decreto positivo, seu in positiva terminatione divinæ voluntatis ad creaturas.

143. Respondeo concessò Antecedente, negando Consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est clara, quia suppositâ elevatione creaturarum rationalium ad finem supernaturalem positivum, nihil decernere de aliquibus, vel purè negativè se habere circa illas, arguit in provisorie imperfectionem, quia suppositâ tali elevatione creaturæ rationalis ad finem supernaturalem, diminuta esset ejus providentiæ, si consequenter & ultimè non versaretur circa illas per positivum decretum, sicut incepèrat. Hoc autem non contingit

Tom. I.

A in nostro casu, cum enim ante suspensionem divinæ voluntatis, non præsupponatur in Deo aliquod positivum decretum circa creaturas, per quod positivè illas ordinaverit ad aliquem finem, consequenter non teneretur postea de illis positivè decernere, & illas ad aliquem finem positivè ordinare: unde ex tali suspensione, nulla in divina voluntate esset vel conciperetur imperfectio, sed potiùs perfectissima libertas & independentia à creaturis.

Objicies quartò: Rem esse futuram, vel non esse futuram, est necessarium: Ergo etiam necessarium est, Deum velle eam esse futuram, aut nolle eam esse futuram. Consequentia videtur manifesta, ideò enim primum est necessarium, quia constat ex extremis contradictoriè oppositis; Sed etiam secundum constat ex iisdem terminis: Ergo eadem ratione debet esse necessarium.

Respondeo concessò Antecedente, negando Consequentiam, & paritatem. Nam inter rem esse futuram, & non esse futuram, non datur medium, cum contradictoriè opponantur: unde propositio disjuncta, ex illis extremis coalescens, est necessaria. At verò inter hoc quòd est Deum velle rem esse futuram, & velle non esse futuram, cum non sit oppositio contradictoria, sed contraria, medium assignatur: scilicet non velle aliquod ex prædictis extremis, seu non velle negativè, per meram suspensionem: per quod patet ad probationem in contrarium.

Objicies ultimò: Si non esset necessarium divinam voluntatem terminari ad futuritionem, vel non futuritionem rerum omnium possibilem, maximè ex eo quòd terminatio divinæ voluntatis ad extra, nullam ei addit perfectionem, vel actualitatem: Sed hæc ratio non concludit: Ergo &c. Major est præcipuum fundamentum nostræ sententiæ, ut constat ex supra dictis: Minor autem ostenditur primò. Terminatio divinæ scientiæ ad creaturas possibilem, necessariò convenit Deo, & tamen non addit novam perfectionem ad divinam scientiam, prout terminatur ad objectum primarium: Ergo ex eo quòd terminatio divinæ voluntatis ad extra, perfectionem illi non addat, malè colligitur non esse necessarium, voluntatem divinam terminari ad futuritionem, vel non futuritionem rerum omnium possibilem.

Secundò probatur eadem Minor: Licet comparatio ad creaturas, respectu divinæ essentiae in ratione ideæ, non addat aliquid reale ad essentiam, sed solum respectum rationis, ut aliqui existimant; vel ejus fundamentum, ut alij probabilius sentiunt: tamen si essentia divina non compararetur ad illas positivè, sed negativè solum circa illas se haberet, non salvaretur in ea perfecta ratio ideæ: Ergo pariter, licet positiva terminatio ad creaturas, non addat perfectionem supra actum voluntatis divinæ, si tamen non intelligitur positivè terminata ad creaturas, sed solum negativè, imperfecta intelligitur ratio libertatis in Deo.

Respondeo concessâ Majori, negando Minor: ad cuius primam probationem, concessò Antecedente, nego Consequentiam, & paritatem. Ratio discriminis est, quia in creaturis possibilebus est necessaria veritas & cognoscibilitas, ratione cuius cognoscuntur à Deo: at verò in futuris, non est bonitas necessaria, unde necessitas terminationis ad illas, ex meritis objecti derivari non potest; & cum ex alia parte, ex eo quòd talis terminatio ab æterno non competeret Deo, nullius

FFF

perfectiois seu actualitatis defectum argueret, ut supra dicebamus, ex nullo capite concipi potest talis terminationis necessitas.

Ad secundam probationem desumptam ex ideis in mente divina existentibus, respondeo esse etiam disparem rationem: cum enim Deus in cognoscendo se, non sit liber, sed necessitatus, etiam necessitatur ad cognoscendam imitabilitatem suae essentiae a creaturis; ac proinde suam essentiam, in ratione ideae & exemplaris omnium rerum possibilem: est contra verò, cum in volendo creaturas sit summè liber, ad perfectionem ipsius pertinet, posse manere suspensum circa illarum futuritionem, aut non futuritionem, & posse omittere omnem terminationem ad illas.

ARTICVLVS V.

An ex eo quòd Deus aliquid in tempore velle inciperet, vel à libera voluntate desisteret, physica mutatio inferretur in illo?

148. **R**atio dubitandi, eaque non levis, sumitur ex principiis supra art. 2. statutis, agendo de constitutivo divini decreti. Nam, ut ibidem ostendimus, liberum Dei decretum consistit in terminatione intrinseca, indefectibili sub conceptu entitatis, & defectibili solum sub conceptu terminationis: Sed ex nova terminatione divinae voluntatis ad creaturas, non sequitur mutatio physica in Deo; quia, ut ibidem ostendimus, ad physicam mutationem requiritur transitus de non esse ad esse, seu de esse ad non esse formae intrinsecae: Ergo ex eo quòd novum aliquod decretum in tempore Deo adveniret, non sequeretur illum physicè mutari.

149. **C**onfirmatur: Deus absque physica mutatione potest in tempore denominationem creantis subire, quamvis ista denominatio intrinseca sit, ut communiter docent nostri Thomistae: Ergo similiter, quamvis denominatio liberè volentis sit Deo intrinseca, poterit tamen illam absque physica mutatione de novo in tempore suscipere. His tamen non obstantibus,

150. **D**ico: Ex eo quòd Deus aliquid in tempore velle inciperet, aut à libera voluntate desisteret, sequeretur physica mutatio in illo, ac proinde ex immutabilitate divina rectè inferitur, non posse libera Dei decreta variari. Est contra Suarezem disp. 30. Metaph. sect. 4. & alios modernos, existimantes ex temporali variatione decretorum in Deo, non sequi physicam ejus mutationem, sed duntaxat moralem. Quia, inquiunt, cum divina voluntas ab aeterno non potuerit manere suspensa, sed se determinaverit per positivum decretum, ad volitionem vel nolitionem omnium rerum possibilem; si in tempore aliquid de novo velle inciperet, quod ab aeterno noluerat, vel nolle quod voluerat, hoc argueret in illo aliquam inconstantiam, quae est imperfectio, & mutatio moralis, Deo repugnans. Est etiam contra Molinam supra qu. 14. art. 15. ubi ait, non ideo repugnare quòd Deus aliquid in tempore velle incipiat, quòd illi adveniret aliqua physica mutatio, sed quia sequeretur in eo vicissitudinis obumbratio, quae non minus quam mutatio physica, divinae naturae repugnat: juxta illud Jacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

151. **E** Nostra tamen conclusio communis est apud

A Thomistas, eamque docuit Angelicus Doctor 1. contra Gent. cap. 86. de verit. qu. 23. art. 4. ad 5. & in hac qu. art. 2. in quibus locis, & alibi saepe, docet Deum ex necessitate velle creaturas, non absolute, sed ex suppositione, ratione suae immutabilitatis. Et art. 7. ex immutabilitate Dei colligit non posse Dei voluntatem incipere velle in tempore. Quae etiam ratione utitur D. Augustinus lib. 12. Confess. cap. 5.

B Probatur ergo conclusio ratione D. Thomae hic art. 7. ad hanc formam redacta. Quòd voluntas divina incipiat aliquando velle de novo, aut à volitione desistat, solum provenire potest, vel ex hoc quòd incipiat sibi esse conveniens & bonum, quod bonum & conveniens non erat, vel ex hoc quòd de novo ut bonum cognoscat, quod prius ut tale non cognoscebat: primum arguit physicam mutationem in divina substantia, secundum in ejus cognitione: Ergo sequitur physica mutatio in Deo, ex eo quòd aliquid incipiat in tempore velle, aut à libera volitione desistat. Major ex eo videtur certa, quòd voluntas versatur circa bonum cognitum tanquam circa proprium objectum: Ergo novitas volitionis, aut ex boni novitate, aut ex novitate cognitionis ejus debet provenire. Minor pro secunda parte supponitur ex dictis in Tractatu de scientia Dei: pro prima verò illam explicat, & ostendit D. Thomas exemplò illius cui incipit esse conveniens ad ignem federe, cum tamen prius disconveniens esset; quod non aliunde provenit, nisi quia mutatus est de calido in frigidum. Homini etiam irato, bona videtur inimici vindicta, cui tamen jam pacato, disconveniens apparet.

C Respondet Suarez ubi supra, falsam esse Majorem, nec in illa numerari omnes causas ob quas potest voluntas incipere velle quòd antea volebat, vel nolle quòd volebat: potest enim id contingere ratione libertatis, bono invariato, & cognitione illius; ut contingit in nobis, qui bono cognito, & voluntati proposito, possumus ratione libertatis illud amare vel non amare.

D Sed contra: Licet imprudens voluntatis mutatio (qualis in nobis saepe contingit) absque novitate boni, & cognitionis ejus possit evenire, illa tamen quae secundum prudentiam debet fieri, non nisi bono, aut illius cognitione variatis, potest contingere: Ergo supposita, ut debet supponi, summà Dei prudentiā in volendo, omnes causas assumpsit D. Thomas; & consequenter ex variatione decretorum in Deo, rectè intulit physicam ejus mutationem.

E Secundò probatur conclusio aliā ratione fundamentali. Ut denominatio liberè volentis incipiat de novo, necessariò requiritur, aut variatio intrinseca in entitate voluntatis divinae, aut novitas & variatio in objecto: Atqui in objecto volitionis liberae, prout est objectum ejus, nequit esse novitas, aut variatio in tempore: Ergo necessariò requiritur variatio intrinseca in entitate liberae volitionis. Major videtur certa, Minor autem suadetur primò: Bonitas creata non terminat volitionem divinam, ut existens in propria mensura, sed ut existens in aeternitate: At ut in aeternitate contenta, nullam accipit variationem aut successionem; cum aeternitas sit invariabilis & tota simul, ut ostendimus in Tractatu de scientia Dei: Ergo ut objectum volitionis divinae, nullius variationis est capax. Secundò, bonitas creata est objectum volitionis liberae,